DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis undecimo mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXX.

M°. GEORGIO LANIGAN, Doctore Medico, Pæside.

An in serophulis discutentia & Diluentia?

I.

UT strumas curare, sic eas definire Perarduum est. Opera enim medica legenti plures definitiones se se mutuò oppugnantes occurrunt, nec facilè erat in vitium fugere, cùm auctores morbum, naturâ suâ simplicem, in plures agrimonias discerpserint: dicti veritatem comprobant *strumæ benignæ*, *malignæ*, *mansuetæ*, *internæ*, *externæ*, *strumæ ossium*, *carnium*, &c. aliaque huic morbo impertita nomina verum diversa strumarum stadia, varias conditiones considerare liceat, Postquam definitionem exarare sategerimus.

Scrophularum nomine intelligitur tumor major vel minor, renitens, inæqualis, dolore plerumque carens, cuti sanæ nunc concolor, nunc paululùm rubescens aut livescens; attamen interdum plurium glandularum juxta se positarum tumores in unum coeunt, adeòque grandiorem efformant.

Sedes frequentissima & fere propria scrophularum sunt glandulæ, partes glandulosæ, molles & laxæ, atque organum omne quod textu cellulari raro conflatur, notandum tamen organa capiti viciniora crebrius scrophulis tentari, quando corpus est validum, si verò delicatum & languidum fuerit, glandulas internas vel pectoris, vel imi ventris corripi (*a*).

Materialis causa scrophularum est lympha quæ ex œconomiæ animalis legibus supra dicta organa irrorat, quidquid disseruit antiquitas de pituitâ crassâ, de atrabile, de acidis coagulantibus, de fermentis, &c. Commentitum est galenique subtilitatem redolet.

Musculorum debilitas, pravæ digestiones, imperfecta lymphæ elaboratio, habitatio in locis humidis, vita deses & otiosa, esculenta rudiora, aquæ vitriolicæ, &c. genesi earum præ reliquis favent. Imò repentina ventorum & calidi imprimìs aeris in frigidum mutatio quæ in vallibus, jugis montium altissimo-

(*a*) Lalouette, Traité des Scroph., Tom. I, pag. 26.

rum interjectis, creberrimè accidit, inter notabiliores causas procatharticas referri meretur; quoniam aer frigidus post preægressam corporis incalescentiam & largiorem transpirationem subitò allabens glandulas colli, præsertìm si dictarum vallium incolæ collo prorsùs nudato incedant, citissimè constringit, adeòque ulteriorem exhalationem impedit, & lympham ad stagnationem proclivem magis coagulat.

Summatìm quæcumque lympham mediatè vel immediatè cogunt, quæcumque vasorum diametros minuendo, angustiorem viam lymphæ parant, quæcumque sint causæ quæ lymphæ has partes lambenti, moras nectant.

Morbus hic uti exhactenùs dictis patet cancro affinis est, excepto dolore qui nullus aut ferè nullus in scrophulis, in cancro atrocissimus persentitur, eas étiam, ut auctor est Ægineta, carcinodes aliqui dixerunt. Enim vero occasione incongruæ medelæ nimium irritantis, adversi regiminis, &c. Scrophulæ sensum exquisitum induunt & cancri naturam æmulantur (*b*).

II.

HIPPOCRATES strumosa tubercula pueros plurimum infestare observat, quod ad ætatem attinet, inquit (*c*), tubercula quidem suppurantur atquè eadem strumosa magna ex parte pueros exercent, facileque ex his levantur. At iisdem ubi paululum processerint, atque adoleverint, nascuntur quidem minus ac difficilius tolluntur. Senibus verò ex hujus modi tuberculis nullum accidit, at cancri latentes, qui summa corporis infestant, fiunt, & usque ad mortem comitantur.

Et alibi: cum glandulæ (*d*) proprio morbo laborant, morbi suboriuntur, tubercula & strumæ subsiliunt, febrisque corpus detinet; quibus afficiuntur, ubi humore ad eas ex reliquo corpore confluente repletæ fuerint.

Ab anno (*e*) quadragesimo secundo ad sexagesimum tertium neque strumæ fiunt, igitur ætas puerilis strumis obnoxia (*f*). pueris accidunt strumæ (*g*), si breve his collum, & pressa tempora, & largæ maxillæ.

Hispanos scrophulis obnoxios præcipuè in locis sordidis & humidis esse asserit Quercetanus (*h*).

III.

PUERI ad hunc morbum proclives, acriori ingenio gaudent, in brevitate respondendi concinni sunt, oculos habent vividiores. Scrophulæ cognoscuntur tumoribus duris pisi, fabæ, castaneæ-ve magnitudine concatenatis, cuti concolores quæ non modo collum maxillamque ambiunt, sed etiam sæpe ad axillas, inguina & intus per mesenterium diffunduntur. Hæ indolentes sunt mobiles vel fixæ, aggestæ, cum labii potissimùm superioris nasique crassitie, inspissantur palpebræ, oculi lacrymas perfundunt, cornea obscura fit, supercilia rara, cilia longa, pupilla contracta, tempora collapsa, abdomen tumidum cum respirandi difficultate, femora graciliora, ungues pedum & manuum rubelli & levissimi; cutis

(*b*) Fabric. ab Aquapend. op. Chirurg., Lib. I.
(*c*) Prædict., Lib. II.
(*d*) Hipp. de Glandul., Lib. II.
(*e*) Coac. 512.
(*f*) A. Sect. III, Aphor. 26.
(*g*) Vide Lomm.
(*h*) Diætetic. Poli-Hist., pag. 119.

lenissima, ossium extremitates tumidæ, quandòque Borborygmi, tormina ventris, diarrhæa, dejectiones virides, febris hectica, somnus brevis, agrypnia, &c. &c. &c.

Omnia hæc symptomata rarò simul sæviunt, nunc major, nunc minor est eorum numerus.

Virus scrophulosum vetus & pejoris indolis ulcera in diversis corporis partibus inducit pertinacia, sordida; digitos & ossa spongiosa non rarò carie afficit, articulos aggreditur, & eos in tumores atollit, qui sæpè sæpius erosâ cute rupti, modò pus, modò saniem, modò ichorem acrem, fœtidum, sanguinolentum fundunt; undè non rarò anchiloses, plurimaque alia mala sæpius insanabilia.

IV.

QUÆDAM puellæ sanantur menstruationis tempore (*j*) si verò matrimonii vinculo junguntur, periculum est ne primo vel secundo partu occumbant, calor enim tunc temporis ultra modum auctus putrefactionem omnimodam, febres mali moris inducit.

Omnes quidem strumæ difficulter curantur, sed difficilius plures quàm una, dolentes quàm indolentes, fixæ quam mobiles, &c.

Curatio scrophularum adhuc sanabilium vel discussione, vel suppuratione, vel operatione chirurgicâ nititur.

Quando adhibetur operatio chirurgica, 1o verenda sæpe est sanguinis profusio. 2o Si vel glandulæ, vel sacculi frustulum relinquatur, struma renovatur (*l*).

Si applicentur caustica uti volunt plures authores, operatio hæc cautè fieri debet; cavendum ne scrophulæ sint venis vel arteriis majoribus implicitæ. Sanatis tumoribus ut supra dictum est, materia quandoque ad pulmones retropulsa difficultatem respirandi pravas digestiones procreat, hinc ingurgitatio imò hepatis obstructio; quæ mala ægrotos vexant usquedùm ulcera antiqua denuo aperiantur.

Strumarum amputationem laudat Paulus Æginetta (*m*) spongiam marinam commendat Rogerius, &c.

Scrophulæ sine ulla erosione diu permanent; ast vel sponte; vel malè tractatæ & incautè irritatæ suppurantur, & his sanatis cicatrices fœdæ, per totum vitæ decursum collum vel alias partes deturpant. *Frequenter strumæ evanescunt mercurii salivatione & inunctione*, si fides Wartoni & Amato Luzitano.

V.

QUOAD remedia internè adhibenda, variis accomodari debent circumstantiis: deficiente calore, cute laxâ & apertâ, pulsu debili & lento, febre hecticâ nondum existente, Medicus tonica & dissolventia præscribere satagat. viperæ carnis esu sanatas strumas asserit Zacutus Luzitanus (*n*). Oleum bufonum laudatur (*o*). Aquas Balnei Regii (*Bareges*) sulphure onustas exhibere suadet Theophil. Bordeu (*p*). In scrophulis argentum vivum &

(*i*) Prix de l'Accad. de Chir. Tom. 3.
(*l*) Fabric. ab Aquapend. op. chir. lib. I. Albucasis sect. 3.
(*m*) De strumis lib. 4. Albucasis lib. 2.
(*n*) De Medicor. Princip. Histor. LI.
(*o*) Borellus in Histor. & Observ. Centur. II. Obs. 67.
(*p*) Prix de l'Acad. de Chir. Tom. 3.

nonnunquam cicutam prodeſſe aſſerit Ludwig. Glandularum tumores ſtrumoſos ſublimati mercurii uſu diſſipatos affirmare non dubitat Emm. Rothart. Tonica & diſſolventia conjungere ſtudeat Medicus, ut eorum virtus ad eumdem ſcopum certiùs perveniat; V. G. decocto radic. Gentianæ luteæ, chamædrys, chamæpytis, kinæ-kinæ, vel earumdem plantarum vinoſæ infuſioni addatur alkali fixi doſis conveniens. Hoc enim impactam in telâ cellulari lympham ſolvit, illa verò fibrarum vim tonicam excitant. Purgantia indicatione requiſita identidem præſcribantur, &c.

Si verò morbus jam antiquus comitem habeat febrem hecticam, ſi cutis arida, deurens. Pulſus vibratilis, dejectiones fœtidæ, virides cum nimiâ ſenſibilitate &c. diluentia, farinacea, acido-mucoſa, decocta ex hordeo, plantis cichoraceis, &c. ſunt adhibenda, Medicus putrefactionem colliquativam avertere ſatagat calorem minuendo, donec ſymptomata memorata fuerint mitigata. Hæc ſunt vera remedia rationi & experientiæ conſona. Igitur concludere liceat.

Ergo in ſcrophulis diſcutientia & diluentia.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. *Joannes-Jacobus* LE ROUX DES TILLETS, *Chirurg. gall. id. an. 1783-84 Profeſſor.*

M. *Aûguſtinus* ROUSSEL DE VAUZESME, *Bibliothecarius an. 1780-81.*

M. *Joannes-Baptiſta-Claudius* JEANNET DES LONGROIS, *Chirurgiæ gall. id. an 1784-85 Profeſſor.*

M. *Franciſcus-Nicolaus* SIMONNET, *Rei Herbariæ an. 1784-85, & Phiſiolog. Prof.*

M. *Franciſcus* DOUBLET, *Phiſiologiæ & Pathologiæ annis 1783-85 Profeſſor.*

M. *Tuſſanus-Claudius-Nicolaus* NAVIER.

M. *Joannes-Baptiſta-Alexander* MAIGRET.

M. *Joſephus* PHILIP, *Phiſiol. & Pathol. ann. 1770-72, U. Pharm. ann. 1778-79 Prof.; Salub. Facul. Decanus ann. 1780-82.*

M. *Joannes* D'ARCET, *Utriuſ. Pharmaciæ ann. 1771-72, & Chemiæ in Salub. Fac. Prof.*

Proponebat Pariſiis, CLAUDIUS COUILLEROT DES CHARIELES, Doctor Medicus Rhemenſis ſaluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos auctor.

Typis QUILLAU, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Typographi. 1790.

